

nus (uti loquitur) & immortalis sit, his careat, quibus maxime
 opus sit, & quibus de novo tandem (cum antea non essent) re-
 ceptis, immutetur. Aristoteles ab hac præceptoris sententia alie-
 nus, cum alibi disputet contra; tum hoc loco suam illi, quam di-
 ximus, opponit; nimirum Intellectum esse in pura potentia; &
 velut tabulam rasam, in qua nihil scriptum sit, omnia tamen inscribi
 possint. Et probat axioma nobili, Quod omne *παρεμφαινόμενον*
 prohibeat *ἀλλότριον*. Cui Averroës accommodate jungit alte-
 rum hoc, quod Recipiens debeat esse denudatum à natura rece-
 pti. Utrumq; dignum examine & explicatione tot interpretum;
 sed ut tacere hinc nobis satius sit, quam pauca dicere: diximus ta-
 men alibi; nec sententiæ ad huc pœnitet. Platoni ferè contra
 Aristotelem accedere ausi quidam Philosopho-Theologi, in qua-
 stione de notitijs primis, quas actu connatas volunt; Quibus si A-
 ristotelem refutandi animus est, oportebit ut & fundamentum,
 (quod in illo axioma.) destruant, & in primis ut conclusionem
 suam directe illi opponant. Qua in re pugna ipsius status est.
 At vero loquitur Arist. de Intellectu, comparatione ad species
 intelligibiles & objecta. Et concludit Intellectum esse immistum
 à speciebus; & in pura potentia: nec ad actum perducì, sine co-
 gnitionis sensitivæ antecessione. Quæ omnia sunt verissima.]

*θ. 22. Sicut autem Intellectus ipse actu & actus est, sic
 & illi alio quodam modo, & alia inesse actu, nihil prohibet;
 ut ex habitu primorum principiorum constat.*

[Quædam namq; inesse nobis, quæ non institutione, vel a-
 liquo discendi conatu, & intelligentiæ luctatione acquisita habe-
 mus, sed quodam naturali animorum nostrorum patrimonio
 accepimus, neq; negat Arist: imo inculcat potius. Quorsum n.
 ipsa potentia intelligendi? quorsum illud sciendi desiderium?
 quod non inesse tantum omnibus, sed *natura* inesse (non delibe-
 ratione aliqua aut suasu) dicit 1. Metaph. 1. Quorsum lumen in-
 ternum, & rationis dictamen? Hinc illi, de lumine naturali, ju-
 dicio, ductu, impulsu, instinctu, &c. sermones. Dum ergo qua-
 ritur An habitus principiorum primorum sit naturaliter inditus?
 Non tam de inhaerentia dubitatio est, quam de inhaerentis & in-
 haeren-

haeren-